



NECROLOGIA



† Adm. R. P. Gulielmus Treacy (1885-1931)

(*Prov. Hibern.*)

Die quinto Novembris in domo nostra Dublinensi, cui nomen « Marianella », supremum obiit diem Adm. R. P. Gulielmus Treacy, eiusdem

domus Rector, cuius memoria certe dignissima est quae ab oblivione servetur. In parvo municipio, cui nomen Birr, natus die vicesimo octavo Iulii anno 1885, divinae vocationi obsequens, in iuvenatum nostrum Limericum se contulit labente anno 1897. Hic per sex annos in studiis se valde habilem exhibebat, praemia pretiosa in publicis examinibus adeptus. Incepito anno novitiatus mense Septembri 1903, fideliter perseveravit et sequenti anno, festo Nativitatis Beatae Virginis, vota emisit. Deinde, peracto quinquennio

studiorum, sacerdotio auctus est anno 1909. Ubi completum studiorum cursum et secundum noviatum absolvit, Dundalchium adscitus est, ubi exercitiis missionum magna cum laude vacabat. Inde anno 1912 ad domum Dublinensem translatus, ibi tamquam missionarius haud minore successu sex annos laborabat. Exinde anno 1918 ad domum nostram Esker iterum translatus, laboribus apostolatus indefatigabilis, praemiis iam ob-



tentis plura adiiciebat usque ad annum 1924; quo anno Superior domus Dublinensis renuntiatus est. Mox vero, defuncto Rectore domus Esker, R. P. Treacy ei tamquam Rector successit. Quo munere feliciter perfunctus, regimen domus nostrae Belfast per triennium 1927-'30 gessit. Deposito huius domus rectoratu, iterum domui Dublinensi usque ad mortem praefuit.

Per vitam duabus praecipue qualitatibus insignitus est, assiduitate scilicet in virtutibus vitae religiosae exercendis, necnon insatiabili pro animarum salute per exercitia missionum zelo. Hoc ardore accensus, tempus vacuum in linguam Gaelicam ediscendam multum impendebat. Nec frustra; ad tantam enim illius sermonis, sub forma tam Scotica quam Hibernica, peritiam pervenerat, ut plurimas missiones praedicare potuerit, tum per regiones occidentales Hiberniae, tum per regiones montanas et insulares Scotiae, ubi sola lingua Gaelica in usu est.

Anno 1930, dum cursum missionum in Scotia praedicat, primum contraxit morbum, qui causa fuit cur tam immatura morte abreptus sit. Quamvis valetudine aliquatenus infirmus, a munericis apostolicis consueto zelo implendis non desistebat. Mense Octobri 1931 morbo illo, cui nomen «influenza», correptus, dum missionem praedicat, domum redire, missione nondum finita, coactus est. Ingravescente infirmitate, adhibita sunt omnia artis medicae adiumenta; at frustra. A praefecto infirmorum de morte imminente deque necessitate ultima Sacraenta recipiendi certior factus, nuntium mira serenitate accepit; immo se gaudere affirmavit quod mox decessurus esset. Perdurante morbo spiritus orationis pietatisque, qui eum novitium, studentem, sacerdotem insigniverat, nedum defecerit, etiam augmentum cepit. Tandem die quarto decimo post inceptum morbum, inter actus contritionis et amoris erga Iesum et Mariam saepe repetitos, serene tradidit animam in manus amantissimi Redemptoris, cui servire et quem amare tam fideliter operam navaverat.